

primunt jamdum à nobis percepta & credita, sunt norma confessionis. Ministri enim Ecclesiæ, in qua libri ejusmodi symbolici sunt recepti ac propositi, hisce obstringunt, ut illis, si alioquin officii sui partibus recte præesse velint, in omnibus sacri sibi crediti officii functionibus se conformes gerant: nec ideo ulla ratione illis detrectari nomen normæ poterit, quod ad scripturam sacram tanquam lydium lapidem examinari debeant, cum id toto die usu veniat, ut aliquid respectu unius sit norma & causa assentiendi & cognoscendi, respectu vero alterius vel superioris, vel excellentioris Principii normatum. Vid. Durrii *Isag. in Libros Normales Eccl. Nor. Cap. I. §. 1. p. 29.* quin jamdum apud veteres normæ nomen obtinuisse videre est ex Isodoro Hispalensi, quem cum Durrio adducere nobis licebit è lib. II. c. 42. ubi de Symb. Apost. verba faciens sic loquitur: *Discessuri ab invicem, normam prius sibi futuræ prædicationis in commune constituunt, non, localiter ab invicem discedentes, diversum aliquid vel diffonum prædicarunt his, qui ad fidem Christi invitabantur.*

§. III. Additur etiam expressis verbis in definitione nostra differentia specifica, eaque petita & à fine & à Causa Efficiente: cum dicitur, quod sit norma confitendi, proponendi & defendendi, præscripta publica autoritate. Et hoc sane satis luculenter differentia ipsius Scripturæ sacræ & Librorum Symbolicorum ostenditur: Libros nimirum Symbolicos ostenditur: Libros nimirum Symbolicos neque principium esse, neque normam fidei, sed tantum principiatum, nec fidem exinde generari, sed jamdum præsupponi: Quod enim quis ore profitetur & testatur, id jamdum necessario in corde tacitus fovere debet.

B

§. IV.